

Solicitud de don Josemaría Escrivá al Obispo de Madrid- Alcalá, en la que pide la erección de la Sociedad Sacerdotal de la Santa Cruz como Sociedad de vida común sin votos; 13-VI-1943.

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

12/01/2012

RHF, EF-430613-1.

Exc.me ac Rev.me Domine:

Infrascriptus Josephus Maria Escrivá de Balaguer et Albás, sacerdos, Piae Unionis, "Opus Dei" dictae, Praeses, humillimo fidentique filiali animo E.V. quae sequuntur

EXPONIT:

1°. Altera die octobris anni Dornini 1928 labente, divina gratia me, licet eadem indignum, adiuvante ac prius obtentis et paterna vestra benedictione et ultiro libenter mihi oblato consensu, apostolicum munus ab E.V. commissum evolvere incoepi inter iuvenes, qui discendi erudiendique causa Athaenea civilia frequentant.

2°. Nec res in cassum cessit. Deus etenim, qui Apostolo docente, dives est in misericordia, quique replet nos omni benedictione spirituali in Christo Jesu, plurimorum iuvenum corda tetigit mentesque illuminavit, ac, optimis quibusve studentibus in unum undique convocatis, quod haud parvo quidem sudore vultus nostri semen in terram bonam proieceramus, in quamdam veluti magnam arborem, Deo opitulante, excrevit, ita ut formam cuiusdam piae fidelium associationis induxerit, cui nomen "Opus Dei", et solide efformatae et omni spe repleteae.

3°. Iam vel ipso anno Domini 1941 decurrente, ac civilium intestinarumque commotionum, quibus Hispania nostra dilaniata fuit, dolorosa aequa ac gloriosa periodo clausa, quasdam directivas normas, ob eiusdem piae associationis magnum quidem incrementum omnino requisitas, approbationi

Vestrae libenti filialique animo
subieci.

4°. Neque huic facto approbationis
Constitutionum nostrarum ex parte
E.V. alienum putamus incrementum
illud, omnibus ac praesertim E.V.
notum, quod horum annorum
decursu, praefata dilectissima nostra
pia associatio suscepit.

5°. His itaque omnibus maturo
animo, coram Deo nostraque
conscientia perpensis; habitoque
insuper pree oculis desiderio eo, quo
accendimur, magis magisque Sanctae
Catholicae Ecclesiae inserviendi, una
cum pluribus aliis commodis quae in
maiorem diffusionem activitatis
spiritualis nostrae, sodaliumque
nostrorum potiorem tum
scientificam tum spiritualem
efformationem cederent, si Opus
praedictum in fidelium
associationem in communi
viventium sine votis ad instar

Canonis 673 et sequentium
erigeretur,

omnes et singuli sodales hanc Piam
Unionem constituentes, E.V.
demississime

ADPRECAMUR

ut ipsam Piam Unionem in
praefatam fidelium associationem
E.V. erigere dignetur, iuris quidem
dioecesani, normis a Codice luris
Canonici statutis adamussim servatis,
titulo huic associationi tributo
**"SOCIETATIS SACERDOTALIS
SANCTAE CRUCIS"**, subiectae regulis,
quarum generalia delineamenta heic
adnexa E.V. remittimus.

ET DEUS, ETC.

Matriti, in festo Pentecostes, die 13
junii, anno 1943.

Pro me ac omnibus singulisque
sodalibus meis, Pastorale Annulum

de osculantibus paternam que
Vestram benedictionem, omnium
bonorum auspicatricem, petentibus

Josemaría Escrivá de B.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-
Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado
automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/solicitud-de-don-josemaria-escriva-al-obispo-de-madrid-alcala-en-la-que-pide-la-ereccion-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-como-sociedad-de-vida-comun-sin-votos-13-vi-1943/>
(02/07/2025)